

billia; scientiæ igitur sunt virtutes intellectus speculativi, prudentia verò, & ars, virtutes intellectus practici. Et hæc doctrina est expressa Philosophi 6. Ethic. c. 2. & D. Thom. ibid. & 1. 2. q. 19. art. 3. ad 2. & 957 art. 5. ad 3. Ex qua doctrina M. Serna ad argumentum responderet, quod prudentia determinat intellectum ad verum practicum, & non potest dictare falsum practicum; verum tamen supposita conscientia invincibiliter erronea, & per errorem invincibile dictare hoc opus esse licitum, esse practice verum illud opus, ut hic, & nunc exercendum, quia est conforme appetitui recto finis.

32. Sed contra est: nam licet prædicta doctrina, in qua fundatur solutio, sit verissima, falsum tamen est, quod opus dictatum per conscientiam erroneam sit conforme appetitui recto finis: ergo nunquam salvatur quod opus dictatum per conscientiam erroneam sit verum practicum, prout contendit solutio. Maior probatur, quia in presenti, rectus appetitus finis est amor Dei finis ultimi, quo appetimus illi in omnibus obsequium præstare; sed quod revera est prohibitum à Deo, & per conscientiam erroneam iudicatur licitum, & honestum, revera non est conforme prædicto appetitui: ergo opus, quod dictatur per conscientiam erroneam, non est verum practicum, quia non est conforme appetitui recto finis. Minor probatur: nam amor Dei est appetitus faciendi, quæ revera iussit Deus, & vitandi, quæ revera prohibuit, iuxta illud: *Qui diligit me sermones meos servabit*. Sed huic appetitui non est revera conforme facere, quod revera est prohibitum à Deo, & si per conscientiam erroneam repræsentetur, ut licitum, & honestum: ergo. Min. hæc patet, quia velle vitare, quæ revera prohibuit Deus, & facere, quod revera prohibitum habet, non conformantur, ut ex se patet. Maior verò probatur: quia intentio, quam habemus obsequendi Deo, ex vero Dei amore orta, non est præcisè faciendi, quæ nobis occurrunt, ut à Deo præcepta, nec præcisè vitandi, quæ nobis occurrunt, ut à Deo prohibita: ergo est appetit, & intentio faciendi, quæ revera iussit Deus, & vitandi, quæ revera prohibuit. Antec. probatur, quia illa intentio obligat ad inquirendum, diligentia possibile, quænam sint à Deo præcepta in rei veritate, & quænam ab ipso prohibita; sed, si præcisè appeteret facere, quæ occurrunt nobis, ut à Deo præcepta, & vitare quæ à nobis existimantur, ut prohibita, non obligaret ad diligentem inquisitionem veritatis, sed statim ac aliquid nobis appateret præceptum, moveret efficaciter ad illud faciendum, & statim ut appateret prohibitum, moveret ad illud vitandum;

ergo non præcisè appetit facere, quæ apparet nobis, ut à Deo præcepta, & vitare, quæ proponuntur ut prohibita; sed principaliter intendit facere, quæ revera sunt præcepta, & vitare, quæ revera sunt prohibita.

33. Respondebis ex M. Serna, appetitum rectum in casu argumenti non esse servandi Dei mandata cognita modo angelico, aut modo divino, sed cognita modo humano, adhibita prius diligentia sufficienti iuxta regulas prudentiæ: hic appetitus est conformis naturæ humanæ, ille verò est præsupertuosus, & pravus. Huic autem appetitui esse conforme, quod homo faciat, quod post sufficientem diligentiam iudicat à Deo præceptum, quanvis re ipsa prohibitum sit; quia supposito errore invincibili, ille appetitus, seu illa recta intentio moveret ad illud faciendum, quod invincibiliter iudicatur, ut honestum.

34. Hæc solutio est, in qua sistit tota contrariorum doctrina impugnatur tamen primo; quia licet intentio dilectionis Dei non intendat servare Dei mandata cognita modo angelico, aut modo divino; tamen intendit servare Dei mandata vera, & realia, prout sunt in se, & ad hæc inveniendâ adhibet omnem diligentiam humanam; vnde David aiebat *Quomodo dilexi legem Domine, tota die meditatio mea est*: ergo si facta diligentia humana non inveniat legem veram Dei, sed per errorem inveniat legem falsam, re ipsa frustratur intentio illa recta, invenitque medium contrarium suæ intentioni, revera quæ si talis legem observet, facit contra id, quod intendebat, licet per errorem, & falsam existimationem. Ergo opus illud revera non est conforme appetitui recto, sed potius ei contrarium, licet existimetur ut conforme. Explicatur exemplo: nam si venator maxime diligens filium suum, ipsum occideret, existimans invincibiliter esse seram, revera non faceret aliquid conforme amori filij; quia amor filij non est solus amor filij existimati talis, sed amor filij veri, & re ipsa talis; sed amor Dei non est amor solius divinæ legis existimata, sed amor divinæ legis re ipsa talis, quia diligentes Deum re ipsa amant veram legem Dei: ergo si aliquis veram diligens legem Dei, propter errorem invincibilem eam violaret, non faceret aliquid re ipsa conforme suo appetitui, sed potius maximum contrarium, & disconforme.

35. Responderet Serna, venatorem in illo casu non occidere filium existimatam feram ex amore filij, sed ex amore venandi, ac proinde nihil mirum, quod sit disconformis re ipsa illa occisio cum amore filij veri: at in casu nostre questionis electio filij veri re ipsa prohibiti supponitur procedens ex amore Divinæ legis, & ex intentione eam